



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopvs Co-||loniensis Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Praefatio Ad Benevolvm Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

A. 

PRÆFATIO AD BENEVOLVM LECTOREM.

B.  Rdenti à nonnullis, BENEVOLE
LECTOR, desiderio singularis expetebatur
editio Historiæ Sanctissimi Martyris & Ar-
chiepiscopi Coloniensis ENGELBERTI
acerrimi Ecclesiasticæ libertatis Assertoris,
eoq; magis, quod exulceratissimis hisce nostris temporibus
(quibus hæreticorum malitiâ non parum in Germania Ca-
tholica impetratur religio) Clerus admodum afflictus, præsidu-
su omneq; perfugium ad S. ENGELBERTVM, exemplo Se-
renissimi & Reuerendissimi Principis Electoris FERDINAN-
DI Domini Nostri Clementissimi, anhelans quærere & ad-
uersus hæreticorum vesanâ implorare cogitur: pluriū igitur
desiderio ut fiat satis, historiam eiusdem Sancti, à Cæsario
D. Heisterbacensi Monacho diligentissimè olim conscriptam,
annalibus illius temporis ac notis velut radio aliquo illu-
straui, è quibus maiorum cum fide nostrâ conſpirationem,
Sedis Apostolicæ & sacrorum Canonum obſeruantiam, ex
selectis quibusque Auctoribus præcipue ex Archiuis, opero-
ſisque lucubrationibus & Annalium Ecclesiasticorum appa-
ratu, mihi à piæ & fœlicis recordationis fratre meo IOANNE
GELENIO Doctore Theologo, Vicario Generali & Prælato

A. Colo-

3
PRAEFATIO AD LECTOREM.

Coloniensi relictis, confirmavi & stabiliui. Cum verò plu.
A
rima instar apis Matinæ hinc inde collegissim, & periodis
scholijsque historiam hanc illustrassem, præter opinionem
vidi sub manibus ipsum opus nonnihil excresuisse. Quare non-
nulla resecta, euulgationi Annalium Ecclesiasticorum Agrip-
pinensium reseruaui; cætera notis margini adscriptis leuiter
ita à me illuminata sunt: Ut ab occupato & grauioribus de-
tento negotijs Lectore primoribus labijs delibari & leui ocul-
lo peruelui possint: Virorum etiam excellentium conuersa-
tione vitæ veluti iubare quodam Ecclesiam illustrantium no-
mina, ex varijs diplomatibus curiosè descripsi annotauiq; vt
aliquando Theatro Genealogico familiarum Patriæ seruiat,
quæ si cui fastidium tediumque pariant, notis scholijsque
contentus sese oblectet. Si verò alicui iejuna nimis pauciora-
que videantur, locupletiora sugerere meque sub onere non
vulgari fatiscentem & deficientem, Christiana charitate
subleuare, & erigere dignetur. Omnibus autem in omnibus C
sapere datum non est: Nec tamen (cū S. Augustino lib. i.
de Trinit. cap. 2. & 3) pigebit me sicubi hæsito quæ
rere, nec pudebit sicubi erro discere: Proin-
de quisquis legit hæc vbi pariter certus est
pergit tecum, vbi pariter hæsitat quærat
tecum, vbi errorem suum cognoscit D
redeat ad me, vbi meum, reuocet
me, ita ingrediamur simul
charitatis viam.



AD